

A num prædictarum in eadem synodo existentium & nominatorum, & per easdem nationes quemlibet per se ad hoc electorum, præfatisq; sic (ut præmittitur) electis & adiunctis, eligendi cum ipsis cardinalibus de eorum voluntate & consensu expressis, Romanum & summum pontificem secundum formam ordinationis & decreti præmissorum tribuit potestatem, supplens omnem defectum, si quis forsitan in electione prædictorum adiunctorum interuenerit. Quo decreto lecto, idem dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis continuauit sub his uerbis:

DECRETVM DE NON SPOLIANDO
do eligendum in papam.

Genesi 4. b

Sacrosancta generalis synodus Constantienſis, ad perpetuam rei memoriam. Omnis ^{Genesi 4. b} ætas ab adolescentia sua prona est ad malum, ad id præsertim, ad quod cupiditatis & auaritiæ stimulis incitatur. Fiunt autem & factæ sunt leges, ut earum metu humana reseruentur audacia, turq; sit inter improbos innocentia, & referretur licentia, ^{al. noc di facta.} nocendiq; facultas. Cum itaque nonnunquam euenisse comperimus, quod electo Romano pontifice, nonnulli sub prætextu cuiusdam abusiue licentiæ, res & bona sic electi, quasi culmine dignitarum adepti, falso prætendentes occupanti concedi, nedum illius sic electi, imò aliquando nonnullorum, quos electos esse mendaciter confingunt, domos, res & bona illorum, necnon & aliquando bona cardinalium aut electorum Romani pontificis & aliorum in loco conclauis existentium, etiam uiolenter inuadunt, recipiunt, occupant, & transportant, lucrifacta existimantes, ex quibus (si permittentur) plura pericula, scandala, rapinæ, furta & nonnunquam homicidia sequerentur. Nos igitur tam sceleratæ temeritatis & audaciæ uiam præcludere, & huiusmodi periculis & scandalis obuiare uolentes, præfatum damnantes sceleratum abusum, talia fieri hoc dicto prohibemus, statuentes quod quicumque cuiuscunque status aut conditionis existat, contra hoc præsumpserit attentare, aut ad hoc auxilium, consilium uel fauorem præbere, præter pœnas quas in uiolentos raptores & occupatores huiusmodi, iura atque apostolicæ & imperiales constitutiones statuunt, eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, à qua nisi per istam sanctam synodum aut futurum Romanum pontificem, præterquam in mortis articulo & facta satisfactione, absolui nequeat, & omni officio, beneficio, priuilegio ac dignitate ecclesiastica & mundana, feudisq; & rebus alijs, si quæ aut quas in Roma:na uel alijs ecclesijs obtinebit, sit priuatus, & intestabilis actiue & passiue existat, ciuitas uerò quæ in præmissis culpabilis fuerit, ecclesiastico subiaceat interdicto, huic adficiendes sanctioni, ut domini temporales, rectoresq; & officiales ciuitatis uel loci ubi electionem Romani pontificis contigerit celebrari, illa imminente, præmissa fieri sub grauioribus pœnis publice & realiter prohibeant, & prohibitionem diligenter faciant obseruari, cæteris constitutionibus circa talia editis, in suo robore duraturis.

¶ Decretum annulationis protestationum, conventionum, necnon suspensionis causarum & audientiarum litium.

Sacrosancta generalis synodus Constantienſis ut purius, sincerius & liberius ad electionem Romani pontificis proxime celebrandam procedatur, omnes & singulas protestationes, quæ possint puritati, sinceritati, libertati & efficaciac electionis huiusmodi obuiare, necnon conventiones, pactiones, promissiones, obligationes, iuramenta, condicta & intendimenta circa materiam electionis huiusmodi factas & facta, fiendas & fienda, ex abundanti damnat, reprobat, & annullat, execratur, putat etiam de iure sunt nulla, mandans sub obtestatione diuini iudicij & sub excommunicationis pena, quam in contrarium facientes uult & statuit eo ipso incurrere, & precipiens ne quis (si quis forsitan talia fecerit) illis utatur, aut illas uel illa obseruet, cū plus deo placeant talium transgressores quàm obseruatores, illosq; ab illorum & illarum obserua